



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XXXVI. Si cui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

quem providere pertinet, liberè ordinare potest, ne diuturna vacatio periculum afferat animarum, quia etiam si beneficium ejusmodi curatum in curia vacaverit, vivente Pontifice, si tamen ante mortem non discesserit ordinarius inferior, ad quem pertinet, statim, etiam si mensis elapsus non sit, ordinare potest.

SUMMARIUM.

1. In beneficijs curatis speciale hoc est, quod vacante sede, cesset eorum, si in curia vacaverint, reservatio, ac de eo liberè possit ordinare inferior ordinarius collator.

Notandum. Speciale hoc est in beneficijs curatis, quod vacante Sede cesset reservatio eorum, si in curia vacaverint, & libera dispositio ad ordinarium proprium collatorem spectet. Quod verò ad alia beneficia attinet, quæ curata non sunt, respectu eorum non currit mensis, vacante Sede, & idè electus Pontifex integrum mensem habeat ad collationem peragendam, ita ut inferior interim providere non possit, sicuti hic explicat *Anchoran. not. 3.* & benè tradit *Gl. in c. 3. v. numerandum hoc lib. 6. tit. licet istud tempus*, inquit, unius mensis curatignoranti Pontifici, non tamen currit, Sede vacante, quod satis probatur infra *eadem tit. c. si Apostolica 35.* si enim ibi sit casus specialis, ergo ipsius contrarium est regulare.

CAPITULUM XXXVI.

Si cui.

PARAPHRASIS.

Si Pontifex alicui, v. g. Episcopo facultatem concesserit, nullà nominatà personà, ut Apostolica auctoritate idoneis beneficia in certa Ecclesia providere, vel ea, quæ ad Sedem Romanam legitimè devoluta sunt, conferre possit, contradictores, eadem authoritate, per censuram compescendo, talis concessio, etiam re inte-

grà, non expirat per mortem concedentis, cum sit gratia specialis, quam decet esse mensuram: sin autem Episcopo potestas facta sit à Pontifice, ut certæ personæ assignet, idque in favorem seu gratiam ipsius personæ, non in gratiam Episcopi, cui mandatur, tale mandatum, & potestas extinguitur morte concedentis, tamen si res integra sit.

SUMMARIUM.

Quomodo extinguatur gratia à superiore concessa per mortem hujus.

Notandum. Si à Principe, aliòve Superiore alicui facultas concessa sit, quippiam agendi, indeterminatè, erga personas aliquas v. g. absolvendi, dispensandi, beneficia conferendi, non extinguitur concedentis morte, tamen si res integra sit, id est, is, cui facultas concessa, eà nunquam usus fuerit: cujus rei ratio est, quia hæc est gratia, seu merum beneficium, decet autem concessum à Principe beneficium esse mansurum, *regula 16. in 6.* videlicet donec revocetur; potest enim privilegium subdito concessum revocari, nisi transierit in pactum, prout docui *lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 25.*

Alia verò ratio est, si Princeps vel quis alius Superior facultatem alicui concesserit agendi quidpiam erga certam personam, eam absolvendi, cum ea dispensandi, beneficium conferendi, & is, qui concessit, re integrâ, id est, antequam collatio, dispensatio, vel absolutio facta est, è vivis excesserit, expirat concessio: cujus ratio est, quia mandatum expirat morte mandantis, si res adhuc integra sit, id est, si mandatum executioni mandari nondum cœptum sit. *L. mandatum c. mandati.*

Non obstat his *cap. si super. 9. de officio delegati in 6.* ubi dicitur. Si Papa certæ personæ gratiam fecerit, constituto executore, postea verò re adhuc integrâ, mortuus sit Papa, qui gratiam concessit, executorem procedere posse; nam eo in loco respondi, & tradit *Gl. hic v. moriatur* distinguendum esse

Y esse

esse inter gratiam factam, & faciendam; gratia facta alicui, puta si Papa Romæ alicui Canonatum contulerit, constituto exequutore, & postea statim moriatur, non extinguitur, sed manet, consequenter etiam executio, tanquam gratiæ accessoria, fieri potest. At verò gratia alicui faciendæ ab ipso mandatario, seu exequutore, exspirat concedentis morte, si res integra sit, seu nondum cœpta executioni mandari, puta si Papa iusserit Episcopo, ut Canonatum, si vacet, vel proximè vacarit, conferat Titio, qui est casus hujus Capituli.

CAPITULUM XXXVII.

Si Episcopus.

PARAPHRASIS.

Dubitatum fuit, si Episcopus v. g. Augustanus alteri Episcopo licentiam concessit in eadem Augustana diœcesi ordinandi, isque Sacrum Ordinem contulit Clerico non habenti sustentationis titulum, uter Episcopus ei necessaria providere debeat, donec beneficium consecutus fuerit, ordinansne, an is, qui ordinationis licentiam concessit. Respondet Bonifacius VIII. si Episcopus proprius alteri Episcopo ordinandi licentiam indeterminatè commisit, ipsemet ordinans providere debet, cum in culpa fuerit, sine titulo aliquem ordinando; sin verò certas personas commisit, qui sustentationis titulo carebant, Episcopus, qui commisit, providere eis debet, donec beneficium ipsis contulerit; quòd si verò Episcopus Clerico suo dimissorias concesserit, ut à quocunque voluerit, Episcopo Ordines accipere possit, is, qui talem licentiam tribuit, vitæ necessaria providere debet, propterea, quòd talem licentiam eum dare non oportebat ijs, qui sustentationis titulum non habent.

SUMMARIUM.

1. Licentia alteri indeterminatè concessa, ut Ordines in diœcesi non sua con-

ferat, intelligi debet, sicuti Sacri Canonis exigunt.

2. Qui literas dimissorias generales alteri dat, titulum sustentationis non habent, ipse tali providere debet, nisi solita clausula sibi caverit.

Notandum primò. Si Episcopus subfraganeo suo indeterminatè, & generalitèr committat, ut ordinationem faciat, intelligi debet, sicuti Sacri Canonis requirunt, ideòque ut ordinandi habeant titulum sustentationis, quare si Clericum titulo carentem in sacris ordinaverit, ipsemet ei providere cogitur. Consentunt, quæ dixi in c. Episcopus 4. hoc tit.

Notandum secundò. Si Episcopus subdito suo sustentationis titulum non habenti literas dimissorias generales det, ipsemet ei providere debet; verumtamen cautelam dimissorijs apponi solitam refert hic Gl. *modo vobis constiterit de titulo sustentationis sufficiente, in quo consentiam vestram oneramus.* Sin autem talis clausula non sit apposta dimissorijs, præsertim si speciales sint, seu ad certum tempus delimitata, tunc is sollicitus esse non debet de titulo sustentationis, sicuti dixi in cit. c. 4.

CAPITULUM XXXVIII.

Quamvis.

PARAPHRASIS.

Pontifex cuidam Episcopo facultatem concessit sex beneficia, autoritate Apostolica, conferendi, si vacaverint per obitum, vel renunciationem; postea verò cum unum ex his beneficijs vacaret, Papa scripsit cuidam alteri exequutori, ut certæ personæ conferret. In hoc casu Episcopus collationem facere non potest, propterea quòd gratiæ generali derogatur per gratiam specialem, licet in eam mentio non fiat gratiæ generalis. Similiter si Pontifex alicui Episcopo concesserit facultatem conferendi beneficia diœcesis suæ, quorum collatio ad Sedem Apo-